

### I DE PLUTARCHEAE EPITOMES MEMORIA

Plutarchi quae fertur de Placitis epitomen primus attigisse videtur Philo Iudaeus, si modo hunc locum libri primi de providentia ab eo scriptum esse credimus:

I 22 p. 11 edit. armen. latin. Aucher. Haec [mundum cum procreatis] Plato a deo facta fuisse novit et materiam per se ornatu carentem in mundo cum ornatu ipso prodiisse; hae enim erant primae caussae unde et mundus fuit. quoniam et Judaeorum legis lator Moyses aquam tenebras et chaos dixit ante mundum fuisse.

Plato autem materiam  
 Thales Milesius aquam  
 Anaximander Milesius infinitum  
 Anaximenes aërem  
 Anaxagoras Clazomenius homoeomeriam  
 Pythagoras Mnesarchi filius<sup>1</sup> numeros commensurationes et harmonias<sup>2</sup>  
 Heraclitus<sup>3</sup> et Hippasus Metapontius ignem

Plut. de Placit. I 3  
 21 Πλάτων . . . τρεῖς ἀρχὰς τὸν θεὸν τὴν ὕλην τὴν ἰδέαν.  
 1 Θαλῆς ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀπεφάνητο τὸ ὕδωρ.  
 3 Ἀναξίμανδρος δὲ ὁ Μιλήσιος φησι τῶν ὄντων τὴν ἀρχὴν εἶναι τὸ ἄπειρον.  
 4 Ἀναξίμενης δὲ ὁ Μιλήσιος ἀρχὴν τῶν ὄντων ἀέρα ἀπεφάνητο.  
 5 Ἀναξαγόρας ὁ Κλαζομένιος ἀρχὰς τῶν ὄντων τὰς ὁμοιομερείας ἀπεφάνητο.  
 8 . . . Πυθαγόρας Μνησάρχου Σάμιος . . . ἀρχὰς τοὺς ἀριθμοὺς καὶ τὰς συμμετρίας τὰς ἐν τούτοις ἄς καὶ ἀρμονίας καλεῖ . . .  
 11 Ἡράκλειτος καὶ Ἴππασος ὁ Μεταποντῖνος ἀρχὴν τῶν πάντων τὸ πῦρ.

<sup>1</sup> armeniace Mnesarqaj ordi, quod cum Aucherus divideret Mnes arqajordi ad verba recte, ad sensum inepte vertit Mnes regis filius. veram lectionem et hic et infra debeo Gildemeisteri benevolentiae.

<sup>2</sup> harmoniam perperam Aucher.

<sup>3</sup> Heraclides falso Aucher.

Empedocles Agrigentinus  
 ignem aquam aerem terram  
 et duo principia amorem et  
 odium

Aristoteles Nicomachi filius  
 formam materiam privationem  
 elementa quatuor et quintum  
 aetherem

Empedocles mundum unum  
 nec tamen universum esse<sup>1</sup>  
 illum sed minorem istius uni-  
 versi partem, reliquum vero  
 inertes materiae<sup>2</sup>

Zeno Mnaseae filius<sup>3</sup> aerem  
 deum materiam et elementa  
 quatuor

Ceterum in superioribus suis verbis dicebat: 'eius pars sub corruptione iacet, necesse id est totum quoque obnoxium esse corruptioni.' nec enim sine toto partes constare possunt neque totum sine partibus. nam mundus universus unum corpus est e multis partibus a deo compositum. nec tamen ut alii quidam sapientum animal esse mundus censendus est sed artificiosa harmonia concretionem nactus.

Adscriptis Plutarchi locis de origine dubitatio esse nequit. nam unum quod discrepat Zeno aerem deum ex graeci exempli vitio *ἀέρα* pro *ἀρχάς* exhibentis fluxit, nisi Armenium lapsus credere mavis. sed quomodo tempora conciliabis? Pseudo-Plutarchi epitome minimum C annis post Philonem confecta est, ut infra demonstrabitur. itaque ad pristinum Placitorum opus, unde illa epitome coacta est, confugiendum erit. at ne huic quidem opinioni tempora favent. nam ut minimum sumam suppar fuit Placitorum conditor Iudaei aetati. sed quid opus est ratiunculas sectari in re incredibili? mira enim foret et prodigii similis consensus si ex unius capituli olim multo ampliore ambitu philosophorum (omissis Archelao et Epicuro) fecisset Philo eundem delectum, qui in Plutarchea epitome extat. accedit quod in pristino libro patris nomen philosophorum nomini aē patriae addi solet. patres cognovit Pythagorae

20. Ἐμπεδοκλῆς Μέτωνος Ἀκρα-  
 γαντῖνος τέτταρα μὲν λέγει στοιχεῖα,  
 πῦρ ἀέρα ὕδωρ γῆν, δύο δὲ ἀρχι-  
 κὰς δυνάμεις, φιλίαν τε καὶ νεῖκος.

22. Ἀριστοτέλης δὲ Νικομάχου  
 Σταγειρίτης ἀρχὰς μὲν ἐντελέ-  
 χειαν ἤτοι εἶδος ὕλην στέρησιν,  
 στοιχεῖα δὲ τέσσαρα, πέμπτον δὲ  
 τὸ σῶμα αἰθέριον ἀμετάβλητον.

5 2. Ἐμπεδοκλῆς δὲ κόσμον  
 ἓνα, οὐ μέντοι τὸ πᾶν εἶναι τὸν  
 κόσμον, ἀλλὰ ὀλίγον τι τοῦ παν-  
 τὸς μέρος, τὸ δὲ λοιπὸν ἀργῆν  
 ὕλην.

3 25. Ζήνων Μνασέου Κιτιεὺς  
 ἀρχὰς μὲν τὸν θεὸν καὶ τὴν ὕλην  
 . . . στοιχεῖα δὲ τέσσαρα.

<sup>1</sup> esse omisit Aucher.

<sup>2</sup> Aucherus dederat optionem: reliquum vero vacuum esse materia aut vacuum esse materiam. nostrae versionis fidem praestat Gildemeisterus, qui addit dubium esse utrum pluralis materiae (nūthq) interpretis an librorum libidini tribuendus sit. copula [est vel sunt] deest in armeniacis.

<sup>3</sup> armen. mnasaj ordî, falso Aucherus Menae filius. in proximis liberius verterat: ceterum superius dicebat atque artificiosa quadam harmonia compactus.

Aristotelis Zenonis Philo, eosdem Plutarchus: ignorat Thaletis Anaximandri Anaximenis Anaxagorae patres cum illo. discrepat unus Empedocles, nam Platonis ratio paulo diversa.

Ergo Plutarchus compilatur, sed non a Philone. quid igitur? dubitandumne de libris de providentia, qui quantum scio in suspitionem numquam inciderunt? minime. parata est lenior ac probabilior ratio. qui vel leviter Philonei stili proprietatem gustaverit, eiusmodi nominum seriem quae a catalogi siccitate nihil distat in ullo usquam libro inveniri negabit. accuratius verò intuenti mirum videri debet, quam non cum prioribus atque insequentibus ista enumeratio cohaereat. ne multa, Philoneae orationi insertus est pannus ex Plutarcheis consutus. ac fieri potest, ut Platonis memoria librarium impulerit ut similia in margine colligeret, quae tum ut fieri solet in continuam scripturam irrepserunt. quare admodum miror C. Wachsmuthium, qui Plutarchi immemor 'Zeno — compositum' tanquam ignotum fragmentum Zenonearum reliquiarum spicilegio suo [commentat. I de Zenone Citiensi et Cleanthe Assio. Gotting. 1874 p. 8. n. 5] inseruit. fortasse schedulis suis fisus librum non iterum inspexit. alioqui obstipuisset quo orationis genere in istis excerptis dici posset 'ceterum in superioribus suis verbis dicebat'. quis? quo in libro? quemadmodum superioribus? in Plutarcho certe nusquam, cuius eclogam non ultra et elementa quatuor progredi certissimum est. ac ne illud quidem dubitatione caret, num recte post compositum verbis relatis ab Auchero finis sit impositus. nam in armeniacis deest talis significatio. immo mihi quidem multo rectius post corruptioni virgula poni videtur, ut proxima sint scriptoris argumenta. at quis tandem illud superius dixit? nempe Philo ipse. <sup>1</sup> revolve librum, ecce eadem iam § 9 p. 6 occupata 'etenim si pars corruptioni obnoxia est, corruptioni obnoxium et totum sit oportet'. iterum § 13 p. 7: 'corruptio particularum alicuius partis et iterum corruptio minimae partis huius particulae si ex ipsa natura atque essentia corporis oriatur, praesignat corruptionem quoque futuram corporis totius.' nec secus § 14: 'qui ergo . . . videt conditionem animantium . . . et universim omnium rerum quae in mundo sunt ac fuere quod nempe in fluxu sint, nonne universum mundum ad normam partium suarum habiturum esse corruptionem fatebitur? item denique § 17 p. 9: quum enim ut ostendi partes mundi per destructionem corrumpi videam, cur non maiores quoque et vel ipsa elementa . . . destruenda fore concedam, quum iam de partium corruptione omnes consentiant?' neque semel ac bis, sed per omnem

<sup>1</sup> in plane idem ultro incidit Gildemeisterus, qui et ipse virgulam post corruptioni ponendam monebat. quantum insit in Philone Stoicorum philosophiae, docet Zellerus III 2 p. 342<sup>1</sup>, 352 sq. Siegfried Philo Alex. p. 140. sed possunt multa addi. de Stoica origine illius syllogismi constat ex Laertio VII 141: ἀρέσκει δ' αὐτοῖς καὶ φθαρτὸν εἶναι τὸν κόσμον [ἅτε γεννη-

disceptationem iste Stoicorum syllogismus inculcatur, cuius si Zenoneam originem vindicare voluisset, antea locus erat idoneus. ergo Philonis verba in memoriam revocantur. at mirabere extare dicebat, ubi dicebam dictum expectas. nolo iterum Armenium erroris accusare quod ΕΙΤΟΝ et ΕΙΤΕΝ confuderit. immo multo latius patet corruptio. rem dicam haud scio an primus sed apertissimam. tenemus priorem librum de providentia non integrum sed ab interpretibus excerptum ac pristina forma privatum. quis enim illam disputationem acrius et punctim persequi potest quin disserendi miram inconstantiam vel potius hiatus manifestos offendat? contra alter liber apta disputandi continuatione non caret interpretumque fides Eusebii fragmentis confirmatur. sed is dialogi formam exhibet Philone et Alexandro amice de providentia contententibus. eadem arte priorem conscriptum fuisse ut per se consentaneum est, ita alterius exordio confirmatur. § 1 p. 44 ut audiat quae de providentia dicenda *supersunt*. § 2 p. 45 parum abest quin dicam totam me noctem vigilem transegisse quae a *nobis ambobus* dicta sunt ruminantem. paulo infra: quandoquidem in iis etiam quae *heri confessi sumus* immanendum est ut in concessis a nobis. potestne aliquid apertius et conceptis magis verbis enuntiari? nihilo setius Auchero inepta potius proferre placuit, quam prioris libri truncatam condicionem adgnosceret. apparet enim disserentium personarum nomina et quae ad dialogi speciem pertinebant exsecta, argumenta ac ne ea quidem plena excerpta esse. hac vero luce cum alia illustrantur tum illae interrogationes § 2. 3. 4 servatae, quas interpret artificiosa quadam explicatione (cf. § 17) excusat. ergo illud dicebat correctum videtur ab eo qui dialogi vestigia utcumque delere sibi proposuerat. itaque ab eodem Plutarchea interpolata esse dixeris, sed praestat graecum exemplar scholio illo auctum fuisse existimare.

Plutarchei libelli quaedam vestigia apparent in Athenagorae supplicatione pro Christianis Marco Aurelio Antonino et Lucio Aurelio Commodio a. 177 nuncupata [cf. Ottonis praef. LXV sqq.]. inprimis caput de deis et de daemonibus heroibusque compilatum est. c. 23 [21]: πρώτος Θαλής διαιρεῖ ὡς οἱ τὰ ἐκείνου ἀκριβοῦντες μνημονεύουσιν εἰς θεὸν εἰς δαίμονας εἰς ἥρωας ἀλλὰ θεὸν μὲν τὸν νοῦν τοῦ κόσμου ἄγει, δαίμονας δὲ οὐσίας νοεῖ ψυχικάς καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων. ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθὰς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας. contracta sunt Plutarchi I 7 11 Θαλής νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεόν et I 8 2 Θαλής . . . δαίμονας ὑπάρχειν οὐσίας ψυχικάς· εἶναι δὲ καὶ ἥρωας τὰς κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων. καὶ ἀγαθοὺς μὲν τὰς ἀγαθὰς, κακοὺς δὲ τὰς φαύλας. excerpts Athenagoras satis diligenter praeterquam

τὸν τῷ λόγῳ τῶν δι' αἰσθήσεως νοουμένων om. Snid., del. O. Heine]. οὗ γὰρ [corr. O. Heine, οὗ τε codd.] τὰ μέρη φθαρτά, (φθαρτόν) ἐστὶ καὶ τὸ ἔλον. τὰ δὲ μέρη τοῦ κόσμου φθαρτά, εἰς ἄλληλα γὰρ μεταβάλλει· φθαρτὸς ἄρα ὁ κόσμος. Zenoni haec tribuere studuit Philonis loco non usus Zellerus Hermae vol. XI 422 sqq. in re fortasse non falsus, argumentis tamen nixus infirmioribus.

quod Plutarcheis νοῦν τοῦ κόσμου non recte articulum addidit [cf. Kriesehe Forschung. p. 39<sup>1</sup>]. liberius ex eodem c. I 7 31. 33 Aristotelis Stoicorumque decreta de deo c. 6 translata sunt. nimirum scriptor iusta philosophiae institutione imbutus [cf. Otto p. XLVIII] sua idoneo loco immiscere sententiasque suo arbitrio ordinare non dubitavit. velut in Stoicis [Plut. I 7 33] non solum quae media sunt prima collocavit, sed etiam orationem traditam δι' ἑλης τῆς ὕλης δι' ἧς κειώρηκε παραλλάξεις sic emendabat: κατὰ τὰς παραλλάξεις τῆς ὕλης δι' ἧς κτλ. <sup>1</sup> ut Thaletis de daemonibus opinioni Platonis sententiam e Timaeo p. 40<sup>DE</sup> petitam adiungere placuit, quam Volkmannus Vit. Plutarch. I 169 ex eodem fonte continuatam non recte iudicavit, ita Stoicorum quoque opinioni vulgarem sane suae memoriae addidit doctrinam: Ζεὺς μὲν κατὰ τὸ ζέον τῆς ὕλης ὀνομαζόμενος, Ἴηρα δὲ κατὰ τὸν ἀέρα καὶ τὰ λοιπὰ καθ' ἕκαστον τῆς ὕλης μέρος δι' ἧς κειώρηκε καλούμενος. quae veriloquia cum similibus Stoicorum somniis repetuntur c. 22 [18]. nimirum haud paenituit eruditum virum eundemque Atheniensem etiam liberiore imitatione quae legerat exprimere. itaque si attentius scriptoris verba circumspectas, etiam c. 16 [13] Plutarcheae lectionis indicia apparent.

## Athenagor.

καλὸς μὲν γὰρ ὁ κόσμος καὶ τῷ μεγέθει περιέχων καὶ τῇ διαθέσει τῶν τε ἐν τῷ λογῷ κύκλῳ καὶ τῶν περὶ τὴν ἄρκτον καὶ τῷ σχήματι σφαιρικῷ ὄντι...

## Plutarch. I 6 2

καλὸς δὲ ὁ κόσμος. δῆλον δ' ἐκ τοῦ σχήματος καὶ τοῦ χρώματος καὶ τοῦ μεγέθους... σφαιροειδῆς γὰρ ὁ κόσμος. § 5. καὶ ἐκ τοῦ μεγέθους καλός. πάντων γὰρ τῶν ὁμογενῶν τὸ περιέχον καλόν. § 6. ὁ μὲν γὰρ λογὸς κύκλος... πεποίκιλται.

Anceps est quaestio utrum excerpserit Athenagoras Plutarchi Placita an maius illud opus, cuius illa est epitome. illud mihi probatur, hoc R. Volkmanno Leben Plut. I 169 qui ampliora illa quibus Plutarchum superat Athenagoras ut Platonica [c. 23] et Philolai Lysidis Opsimi Pythagoreorum de deo decreta [c. 6] indidem manasse opinabatur. at Platonis locos ad verbum descriptos afferre Placitorum a consuetudine abhorret et Pythagoreorum de deo opinio diversa enumeratur I 7 18. adde quod uno loco — neque enim in tanta excerptorum paucitate minuta sunt negligenda — dissentientibus Plutarcho et Stobaeo epitomatores sequitur Athenagoras. <sup>2</sup>

Constantini aetate Eusebius multa e Plutarcho excerpserit, quem librum inter alios multos et egregios in Alexandri Pamphilique bibliothecis reperisse videtur [hist. eccl. VI 20. 32]. illa excerpta eo sunt maioris

<sup>1</sup> idem repetitur c. 22 καὶ τὸ πνεῦμα τοῦ θεοῦ διὰ τῆς ὕλης κειώρηκός κατὰ τὰς παραλλάξεις αὐτῆς ἄλλο καὶ ἄλλο ὄνομα μεταλαγχάνειν.

<sup>2</sup> Plac. I 7 33 καθ' οὗς ἕκαστα καθ' εἰμαρμένην γίνεται Plutarchus cum Athenagora — καθ' οὗς ἅπαντα Stobaeus. quoniam singulorum vocabulorum fidelior est testis Stobaeus, ἅπαντα genuinum duco, ἕκαστα a Plutarcho propter πάντας proxime praecedens mutatum. quae Volkmannus postea [N. Jahrb. f. Phil. 1871 p. 683] de Placitorum fati protulit sciens hic neglexi.

facienda, quo minus sive Eusebius ipse sive qui ei fuit a manu suis coniecturis indulserunt.<sup>1</sup> collecta sunt in Praeparationis Evangelicae libris XIV et XV, quibus excerptis talia praemittit XIV 13 9: σκεψόμεθα δῆτα λοιπὸν ἤδη ἀνωθεν ἀρέαμενοι τὰς τῶν εἰρημένων φυσικῶν φιλοσόφων δογματικὰς πρὸς ἀλλήλους ἀντιδοξίας. γράφει δὲ ἀθρόως ἀπάντων τῶν Πλατωνικῶν ὁμοῦ καὶ Πυθαγορείων τῶν τε ἔτι πρεσβυτέρων φυσικῶν φιλοσόφων ἐπικεκλημένων καὶ αὐτὸν πάλιν τῶν νεωτέρων Περιπατητικῶν τε καὶ Στωικῶν καὶ Ἐπικουρείων τὰς δόξας συναγαγὼν ὁ Πλούταρχος ἐν οἷς ἐπέγραψε Περὶ τῶν ἀρεσκόντων τοῖς φιλοσόφοις φυσικῶν δογμάτων, ἐξ ὧν παραθήσομαι ταῦτα. excerptis XIV 14 1—6 ex Plut. I 3 1—4. 11. 18. 20. tum praemissis his πάλιν δ' οὖν ὁ Πλούταρχος τὰς περὶ θεῶν ὑπολήψεις τῶν αὐτῶν τοῦτον γράφει τὸν τρόπον compilavit XIV 16 1 ex Plut. I 7 1. 2, deinde XIV 16 2 ex eodem loco §§ 5. 6, quibus praefatur: Ἐπὶ τούτοις πάλιν τὸν Ἀναξαγόραν εἰσάγει, πρῶτον φάσκων αὐτὸν ὀρθῶς φρονῆσαι περὶ θεοῦ. tum XIV 16 3—10 sequitur Plut. l. c. §§ 7—18. 31—34.

Eclogis I. XV insertis haec prolusit XV 22 69: διό μοι ἀναγκαῖον εἶναι δοκεῖ καὶ τὰς περὶ τῶνδε δόξας ὁμοῦ συναγαγεῖν, τὰς τε διαστάσεις αὐτῶν καὶ τοῦ τόφου τὸ μάταιον ἐπιθεωρῆσαι. θήσω δὲ καὶ ταῦτα ἀπὸ τῆς Πλουτάρχου γραφῆς, ἐν ἧ τὰς περὶ τούτων ἀπάντων ὁμοῦ τῶν τε πρεσβυτέρων καὶ νέων δόξας συναγαγὼν τοῦτον γράφει τὸν τρόπον.

excerptis XV 23. 24. 25	ex Plut. II 20. 21. 22
XV 26. 27. 28. 29	ex Plut. II 25. 26. 27. 28
XV 30. 31	ex Plut. II 13. 14
XV 32	ex Plut. I 4

quae ad Praeparationis consilium utilia restabant, ea longa serie XV 33—61 ad verbum descripsit. his ipse indicem praemittit XV 32 8—10, quem comparatis Plutarchi capitibus hic adponere iuvat.

Τοιαύτη καὶ ἡ θαυμάσιος αὐτῶν κοσμογονία. συνῆπται δὲ τούτοις ἄλλη τις πλείστη λογομαχία παντοίων πέρι προτάσεων ἀπορησάντων

εἰ χρὴ τὸ πᾶν ἐν ἧ πολλὰ ἡγεῖσθαι καὶ	XV 33	ex Plut. I 5
εἰ ἕνα τὸν κόσμον ἧ πλείους.		
καὶ εἴτε ἔμφυχος οὗτος καὶ προνοία	XV 34	ex P. II 3
τυγχάνει θεοῦ διοικούμενος εἴτε καὶ		
τάναντία.		
καὶ εἰ ἄφθαρτος ἧ φθαρτός	XV 35	ex P. II 4
καὶ πόθεν τρέφεται	XV 36	ex P. II 5
καὶ ἀπὸ ποίου ἤρξατο ὁ θεὸς κοσμο-	XV 37	ex P. II 6
ποιεῖν		

<sup>1</sup> contra priorum virorum doctorum ut J. Scaligeri Niebuhrii Hullemani iniquiora, Valckenarii Dindorffique nimis amica iudicia omnino vere iudicavit J. Freudenthalius Hellenist. Stud. I p. 3 sq. qui discernenda esse et librorum et excerptorum genera bene monuit. Plutarchaeae eclogae, ut quae κατὰ λέξιν descriptae sint neque christianam doctrinam tangant [cf. Volckmann in Zelleri annal. theolog. 1855 p. 244<sup>2</sup>] plurimum habent auctoritatis. cf. J. Bernays de Theophr. l. de piet. p. 173.

## PROLEGOMENA

7

περί τε τῆς τάξεως τοῦ κόσμου	XV 38	ex Plut. II 7
καὶ τίς ἢ αἰτία τοῦ αὐτὸν ἐγκλιθῆναι	XV 39	ex P. II 8
περί τε τοῦ ἐκτὸς τῆς τοῦ κόσμου περι- φερείας	XV 40	ex P. II 9
καὶ τίνα τὰ δεξιὰ καὶ τὰ ἀριστερὰ τοῦ κόσμου μέρη.	XV 41	ex P. II 10
περί τε οὐρανοῦ	XV 42	ex P. II 11
καὶ πρὸς ἅπασιν τούτοις περί τε δαιμόνων καὶ ἡρώων	XV 43	ex P. I 8
περί τε ὕλης	XV 44	ex P. I 9
καὶ περι ἰδεῶν	XV 45	ex P. I 10
περί τῆς τοῦ παντὸς τάξεως	XV 46	ex P. II 15
ἔτι μὴν περί τῆς τῶν ἀστρῶν φορᾶς τε καὶ κινήσεως	XV 47	ex P. II 16
καὶ πρὸς τούτοις ὁπόθεν φωτίζονται οἱ ἀστέρες	XV 48	ex P. II 17
καὶ περί τῶν καλουμένων Διοσκούρων	XV 49	ex P. II 18
περί τε ἐκλείψεως ἡλίου καὶ σελήνης	XV 50. 51	ex P. II. 24. 29
καὶ περί ἐμφάσεως αὐτῆς καὶ διὰ τί γεώδης φαίνεται	XV 52	ex P. II 30
καὶ περί τῶν ἀποστημάτων αὐτῆς	XV 53	ex P. II 31
καὶ ἔτι περί ἐνιαυτῶν	XV 54	ex P. II 32.

9. ταῦτα δὲ πάντα διὰ μυρίων τοῖς περί ὧν ὁ λόγος κατασκευασμένα ἐπειδὴ  
 τεμῶν ὁ Πλούταρχος ἐν ἀλίγοις συνείλεν ἐπὶ ταῦτῶν ὁμοῦ συναγαγὼν ἀποφάσεις καὶ  
 τὰς διαφωνίας αὐτῶν ἡγοῦμαι καὶ ἡμῖν οὐκ ἄχρηστα γενέσθαι [αὐτὰ] παρατε-  
 θέντα εἰς τὴν εὐλογον αὐτῶν παραίτησιν. \* \* \*. 10. προσθήσω δὲ ἐξῆς τοῖς  
 εἰρημένοις ὅσα καὶ περί τῶν προσγειοτέρων ἐπηπόρησαν

περί γῆς (καὶ) σχήματος καὶ περί θέσεως XV 55. 56. 57. 58 ex P. III 9. 10  
 καὶ ἐγκλίσεως αὐτῆς 11. (12) 13

καὶ ἔτι περί θαλάσσης XV 58 ex Plut. III 16.

ὡς ἂν εἰδείης ὅτι μὴ περί μόνων τῶν μετεώρων καὶ μεταρσίων οἱ γενναῖοι διέστη-  
 σαν, ἀλλ' ὅτι καὶ ἐν τοῖς περιγεῖοις διαπεφωνήμασιν. ἵνα δὲ τῶν σοφῶν ἔτι μᾶλλον  
 τὴν σοφίαν ἀποθαυμάσης, προσθήσω καὶ ὅσα περί ψυχῆς [XV 59 ex P. IV 4]  
 καὶ τοῦ ἐν αὐτῇ ἡγεμονικοῦ [XV 60 ex P. IV 5] διεμαχῆσαντο οὐδὲ σφᾶς  
 αὐτοὺς ἐπιγῶναι οἷας εἶεν φύσεως δεδυνημένοι.

Quod de fide Eusebii supra dictum est, insigni quodam exemplo ex  
 indice comprobari potest. in codicibus XV 58 caput quod est περί κινήσεως  
 γῆς inscriptum est περί ἐγκλίσεως γῆς. iam cum in Plutarcho c. περί ἐγκλίσεως  
 omissum illud ab Eusebio praecedat, nihil profecto proclivius est quam  
 posteriorum scribarum oscitantiam incusare quod titulo prioris servato ad  
 transcribendum alterum caput properaverint. quae coniectura fallit. immo  
 ipse Eusebius exemplar habuit mancum ac tanta fuit Caesariensis episcopi  
 sive religio sive securitas, ut errorem manifestum neque in indice neque  
 in excerptis corrigeret. tralaticium illum in antiquis Plutarchi exemplis

hiatum testatur Galeni historia philosopha, quae eodem capite *περὶ ἐγκλίσεως* caret. eandem accurationem in ceteris excerptis admirari licet. nam rarae sunt pro excerptorum ambitu mutationes. velut Plut. I 3 1 post *Θαλῆς ὁ Μιλήσιος* addit εἰς τῶν ἑπτὰ σοφῶν. mox ἀπεφήνατο auctum est addito εἶναι capituloque finito claudit ταῦτα μὲν ὁ Θαλῆς, de qua formula similibusque egit G. Dindorfius praef. edit. I xix. structuræ formam mutavit I 3 4 οἶον ἢ ψυχῆ, φησὶν, ἢ ἡμετέρα ἀήρ οὐσα συγκρατεῖ ἡμᾶς. placet enim Eusebio οἶον ἢ ψυχῆ . . . ἀήρ ἐστι· συγκρατεῖ γὰρ ἡμᾶς. audacius eiusdem capituli § 18 transformavit in hunc modum: Δημόκριτος ᾧ μετὰ πλεῖστον Ἐπίκουρος ἠκολούθησεν. Plutarchus praebet: Ἐπίκουρος Νεοκλέους Ἀθηναῖος κατὰ Δημόκριτον φιλοσοφῆσας. nec magis placet quod paulo infra, quod Δημόκριτος μὲν γὰρ fuit, variavit ἀλλ' ὁ μὲν Δημόκριτος. brevitate praestat I 4 1 ὁ κόσμος ἐσχημάτισται, quod in Plutarcho ἐσχηματισμένος συνέστηκε parum eleganter scriptum est. leviora sunt quae I 7 8 novavit ὁ θεός . . . ὅτε ἦν ἀκίνητα τὰ σώματα ἢ ὅτε ἀτάκτως ἐκινεῖτο, ubi alterum ὅτε addidit, ne ἐκινεῖτο ad deum referretur, et paulo infra οὐδὲ τὸ πρῶτον ἐστι δέξασθαι pro Plutarcheo καὶ οὔτε τὸ πρῶτον κτλ. ibidemque πᾶς γὰρ θεός pro ὁ γὰρ θεός. sententiam adulteravit I 7 11 cum scripsit Θαλῆς τὸν κόσμον εἶναι τὸν θεόν. recte Plutarchus Θ. νοῦν τοῦ κόσμου τὸν θεόν. supervacaneum certe illud quod II 20 12 post Φιλόλαος ὁ Πυθαγόρειος ὑλοειδῆ [sc. εἶναι τὸν ἥλιον] addit δίσκον, quamquam non defuere, qui avidè arriperent. contra ibidem § 13 ἑαυτοῦ omisit τῆ ἀνταυγείᾳ in τῆς ἀνταυγείας correcto, invicem ad proximum ἀνταύγειαν otiose εἶναι apposuit. librarius fortasse peccavit quod Plutarchi II 29 6 Πλάτων Ἀριστοτέλης . . . συμφωνῶς conversum est in συμφωνοῦσι. memorabilius est quod III 13 3 ἐνηξιοισμένην planioribus verbis ἐν ἄξει στρεφομένην explicare maluit. vox illa artis astronomicae ut videtur propria ne a librariis quidem intellecta est, qui ἐνζωνισμένην propagarunt, donec Reiskei palmari emendatione verum inventum, sed, ut fieri solet, ab editoribus spretum est. exemplum verbi ex Ptolemaeo adnotavit Schneiderus neque, quamquam quaerenti mihi locum Ptolemaei reperire non contigit, de fide ac diligentia sponsoris ullo modo dubitari potest.

Apposui fere quae Eusebius mihi contra Plutarchi auctoritatem mutasse videtur nec multa nec fallacia, si quis cavere didicit. sed supersunt alia, in quibus haereas librariine Eusebianorum codicum peccaverint an ex mendoso exemplari securus transcripserit excerptor. velut II 20 3 Plutarchea sic leguntur: Ξενοφάνης ἐκ πυριδίων τῶν συναθροισζομένων μὲν ἐκ τῆς ὑγρᾶς ἀναθυμιάσεως, συναθροισζόντων δὲ τὸν ἥλιον. Eusebius φαινομένων inter τῶν et συναθροισζομένων interpolatum habet, quod non dubium est quin ab emendatore quodam iterato verbo offenso super συναθροισζομένων olim positum fuerit. sed ambiguum utrum ante Eusebium an post vixerit iste elegantiae male curiosus.

Sed quo minus mendosum exemplar iam Eusebio lectum esse negamus, eo magis mirandum est quanto illud posterioribus sanitate et integri-



tate praestiterit. iuvat hoc exemplis quibusdam comprobare, quoniam Eusebii virtus ab editoribus quotquot Plutarchi libellus nactus est nondum cognita videtur. I 3 2 διὰ τοῦτο καὶ Ὅμηρος ταύτην τὴν γένεσιν ὑποτίθεται περὶ τοῦ ὕδατος· ὠκεανὸς ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτοικται. tulerunt hoc editores qua solent patientia praeter unum Duebnerum qui saltem εἰπὼν addidit post ὕδατος. . quanto facilius erat Eusebium inspicere qui praebet ταύτην τὴν γνώμην! idemque Mosquensis optimi codicis ora confirmavit, unde iam Plutarcho a nobis restitutum est. quid librario fraudi fuerit, vix est monendum. interdum Eusebii exemplum interpolatorem vaferimum arguit, qui emboliorum mira impudentia non solum editorum turbam, sed doctos quoque et cautos homines ludificatus est. duo exempla satis sunt.

I 3 4 lectum est: ἀδόνατον γὰρ ἀρχὴν μίαν τὴν ὕλην τῶν ὄντων, ἐξ ἧς τὰ πάντα, ὑποστῆναι. neminem fore spondeo qui scioli sapientiam sua sponte odoretur. quid? ne tum quidem, cum in Stobaeo ἐξ ἧς τὰ πάντα cognoverimus deesse, de fraude cogitabimus. convincit interpolatorem omittingo Eusebius. possum alia eiusmodi emblemata notare, nullum audacius quam hoc.

II 9 3. 4. Ποσειδώνιος οὐκ ἄπειρον ἀλλ' ὅσον αὐταρχες εἰς διάλυσιν ἐν τῷ πρώτῳ περὶ κενοῦ. Ἀριστοτέλης ἔλεγεν εἶναι κενόν. Πλάτων μὴτ' ἐκτὸς τοῦ κόσμου μὴτ' ἐντὸς μηδὲν εἶναι κενόν. haec fere vulgantur sine suspitionis ulla nota.<sup>1</sup> neque Bakeo quidquam fraudis suboluit, qui Posidonianis reliquiis librum περὶ κενοῦ octavo loco inseruit. sed poterat scrupulum inicere quod Stobaeus libri titulum omisit, augere debebat quod Laertius Diogenes Stoicorum de vacuo scriptores dum accurate recenset VII 140, ipsum Posidonium non ἐν πρώτῳ περὶ κενοῦ, at ἐν δευτέρῳ τοῦ φυσικοῦ λόγου citat. interpolata esse ἐν τῷ πρώτῳ περὶ κενοῦ demonstrat Eusebius Gaisfordii. nam in priores editiones, ut fieri solet, Plutarchea lectio interpolata est. verbo moneo etiam latius patere interpolationem. nam Aristoteli idem indoctissime simul et audacissime contrariam ipsi sententiam attribuit [cf. phys. ausc. IV 8 p. 214 sq.] atque ultima quoque misere turbavit. apage igitur istas officias fraudulentum hominis Eusebioque duce restitue: Ποσειδώνιος οὐκ ἄπειρον ἀλλ' ὅσον αὐταρχες εἰς τὴν διάλυσιν. Πλάτων Ἀριστοτέλης μὴτ' ἐκτὸς τοῦ κόσμου κενὸν εἶναι μὴτ' ἐντὸς.

Corruptis locis quam saepe salutare afferat auxilium Eusebius, dici nequit. unum proferam editorum socordia insigne. I 7 33 οἱ Στωικοὶ κοινότερον θεὸν ἀποφαίνονται πῶρ. equis crediderit κοινότερον illud vel a Wytttenbachio eruditissimo antiquae philosophiae existimatore non modo toleratum, sed etiam latine expressum esse: Stoici communius deum pronunciant? ne haesisse quidem videtur, alioqui Stobaeo adhibito legisset quod verum est νοερόν θεόν. idemque confirmat Eusebius. addo

<sup>1</sup> nisi quod Posidonii sententia Hirzelio [Unters. z. Cic. Schrift. I 228<sup>1</sup>] a Plutarcho et Stobaeo male tradita videtur. sed hoc ultra Plutarchi memoriam recedit.

autem ne quis soli Plutarcho dormitantes editores obtigisse reatur, perinde ridiculum errorem hodieque legi in Pseudo-Iustini cohort. c. 6: Ἀριστοτέλης δὲ οὐ κοινοτέραν τὴν ψυχὴν εἶναι φησιν ἐν ᾧ περιεληπτὰ καὶ τὰ φθαρτὰ μόρια, ἀλλὰ τὸ λογικὸν μόνον. ut Plutarchi librarios deceptis vocis Στωικοὶ ultima syllaba repetita, ita in Iustino fuit adverbium *κοινοτέρον*.

Sed quid multi sumus in Eusebii praestantia laudanda, quoniam antiquum librum inferioris aetatis sordibus carere consentaneum est? verum enim vero multo gravius est quod idem Eusebii exemplum non nullis locis aperte vel corruptis vel lacunosus ita consentit cum nostrorum codicum depravatione, ut iam quarto saecula vulgaria exempla atque ἀδιόρθωτα [cf. L. Dindorf praef. ad Dion. Chrysost. I p. iv <sup>4</sup>] circumlata esse satis constet, unde in dies magis gliscente cuiusvis corruptionis labe Byzantinorum libri deducti sunt. praeter hanc autem vulgarem memoriam etiam post Eusebii aetatem pleniore praesto erant et emendatiores libri, quorum auxilio haud semel vulnera aut conclamata aut sanitatis specie fallentia certa manu curare contigit. in eo numero sunt Cyrillus et personatus Galenus.

Theodoretus enim episcopus Cyrensis, qui ineunte quinto saeculo floruit, novit ille quidem Plutarchi τὴν περὶ τῶν τοῖς φιλοσόφοις δοξάντων ἐπιτομὴν [graec. affect. curat. IV 31 cf. V 16], sed quae II 112 et III 4 de atheis Diagora Theodoro Euhemero Plutarcho nominato narrat [cf. Placit. I 7 1] ea Eusebio surrepta sunt, unde eodem loco II 113 et 115 Protagorae et Numenii memoria fluxit. quod Diagoram Milesium cognovit consentiens cum Eusebio, furtum reddit manifestum. sed de Theodoretis infra accuratius dicendum erit.

Utiliora sunt multo Cyrilli acerbissimi Theodoretis adversarii excerpta, quibus ad Iulianum refellendum utitur. ita contr. Iul. II [ed. Auberti Lutet. 1638 vol. VI] p. 46b — 47b quattuor deinceps priora capita libri II accurate excerptis hisce praemissis: Πλούταρχος τοῖνον ἀνὴρ τῶν παρ' αὐτοῖς οὐκ ἄσημος γεγονώς ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ τῆς τῶν φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς οὕτω φησὶ περὶ τοῦ κόσμου. etiam tituli capitum servantur, cum alterum ab his verbis ordiatur εἶτα περὶ τοῦ σχήματος τοῦ κόσμου ὡς ἀπὸ φησίν. itemque c. 3 ἔφη δὲ ἀπὸ τῶν παρ' Ἑλλήσι φιλοσόφων δόξας εἰς ἐξηγήσεις προτιθεῖς, εἰ ἔμψυχος ὁ κόσμος ἢ μὴ οὕτως. similiter c. 4 iterum Plutarchum nominatim adfert p. 51 DE cf. p. 70c: ἔφη γάρ που περὶ αὐτῶν ἰσχυρὸς ὢν ἄγαν ὁ Πλούταρχος ἐν τῷ πρώτῳ βιβλίῳ φυσικῶν δογμάτων συναγωγῆς: ἔλαβον δὲ ἐκ τούτου κτλ. ex Plut. I 6 8. 1. 2. proximum caput [I 7 11. 16. 17. 12. 32. 33] postquam p. 28 CDE compilavit: γεγράφασιν δέ, inquit, περὶ τούτων Πλούταρχός τε καὶ ἕτεροι τῶν παρ' αὐτοῖς λογῶν καὶ ὁ θρασὺς καθ' ἡμῶν Πορφύριος. Plutarchum opinionum et Porphyrium vitarum scriptorem coniunctos compluribus memorat etiam Theodoretus, quod infra dicetur.

De exemplo Plutarchi a Cyrillo lecto nonnulla dicenda sunt quia